



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 6. Otto Pro-Comes Mediolanum intrat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

noxæ sunt nisi ad gerendam honestatis speciem. Simplex concubitus non est peccatum. Continentiam virtutis natura non postulat. Philosophus non debet credere animarum reditum in corpora, quia fieri non potest. Homo pol- lens virtutibus ad intelligentiam & mo- res pertinentibus, de quibus Aristoteles agit, ad felicitatem perpetuam satis expeditus est. Beatitudo in hac vita da- tur, non in alia: & post mortem bona omnia amittuntur.

Hos errores e mala philosophia tunc regnante exortos esse facile videmus: & inter tot propositiones damnatas aliquæ non rejectæ mihi videntur, nisi quia præ- judicatis illius temporis opinionibus ad- versabantur; velut istæ: Angeli & ani- mæ separatæ a corporibus nusquam sunt; nec alicubi versantur præterquam per o- perationem suam. Cernimus hic etiam, cur S. Thomas cæterique illius sæculi Do- ctiores, tot quæstiones tractaverint, quæ nobis videntur inutiles.

§. VI.

*Otto Pro - Comes Mediolanum
intrat.*

Otto Pro - Comes an. 1262. in Mediola- nensem Archiepiscopum consecra- tus,

Sæcul. XIII.

A.C. 1277.

c. 14.

c. 15.

c. 16.

c. I. 43.

25.

Sæcul. XIII. tus, nondum capere sedis suæ possessionem potuerat, cum per Turrianorum factionem urbe exclusus esset: tandem vero mense Januario hujus anni 1277 eam intravit. Postquam conciliatis sibi Comensibus omnes Mediolano, Ticino, & Novaria extorres collegerat, Mediolanensem ingressus agrum prope oppidum Desium venit, ad quod Turriani castra posuerant. Cum dein nocte vigesimæ Januarii Desium, ubi Canonicus fuerat, intrasset, adjunctis ad partes suas viris oppidi præcipuis, prima luce copias promovit suas contra Turrianos inopinantes, ac vix habentes spatium sumendi arma. Acris pugna erat, qua Turriani victi, plurimique tum cæsi, tum capti fuerunt. Hoc die S. Agnetis factum: & accepto rei nuncio Mediolanum Archiepiscopi partes suscipiens, Oratores ad eum misit. Itaque die S. Vincentii 22 Januarii eo victor ingressus, universum Clerum populumque magna cum pompa sibi obvium habuit, ac protinus, ut sublata omni vindicta cives fraterna in concordia inter se viverent, edici jussit, id quod haud impediit, quin postea multi una cum Turrianis in exilium ejecti sint. Sic Otto Pro-Comes possessionem Ecclesiæ Mediolanensis adiit, quam decem & octo annis rexit, profani in urbe dominatus familiæ suæ comparandi fundamenta jaciens.

§. VII.